Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31247
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

dominum non cessant clamare cottidie dicentes sanctus
sanctus sanctus dominus deus sabaoth ut oriens pme
ut merear superare omnes iniquitates meas quas
commisi ab ineunte etate usque in presentem diem Nunc
exoro te domine ihesu christe qui es miserator et misericordiam
tribuis omnibus invocantibus te in veritate te deprecor
et supplico ut exaudias orationem meam Qui vivis
et regnas deus per omnia secula seculorum Amen

Domine Ihesu christe fili dei vivi
qui ex voluntate patris coope-
rante spiritu sancto naturam huma-
nam assumere et preciosissimum
sanguinem tuum pro redempcione
humani generis et salute mundi
effundere voluisti respice propicius
ad preces meas pijssime deus
Per misterium sancte incarnacio-
nis tue Per nativitatem partum et passionem tuam per
mortem et sepulturam per gloriosam resurrectionem et
admirabilem ascensionem tuam et per graciam spiritus sancti
paracliti per merita gloriosissime virginis marie matris
tue beatorum petri et pauli beati iohannis ewangeliste
et omnium sanctorum per temetipsum et propter temetipsum
libera me domine deus meus hodie et semper de potestate
dyaboli et repelle a me spiritum fornicacionis extin-
gwe in me superbiam carnis et exsicca in me humorem
luxurie dirige gressus meos et vias meas omni tempore
in beneplacito tuo Averte oculos meos ne videant
vanitatem omnis sensus mei corporis circumcide ut a
peccatis omnibus mundus in tuo servicio valeam per-
manere domine mi qui chananeam et publicanum vo-
casti ad penitenciam et petrum lacrimantem suscepisti
Suscipe me misericors deus et spacium michi penite-
ndi concede qui beate marie magdalene peccata do-